



00 662

294<sup>2</sup>  
qm.



MEDICATIO DUORUM ÆGRORUM;  
 QVORVM UNUS  
**S C O R B V T O;**  
 ALTER  
**L V E V E N E R E A**  
 LABORAT:

QVAM  
 Divino adjuvante Numine,  
 SUB PRÆSIDIO  
*Viri doctrinâ & experientiâ clarissimi,*  
**D. HENRICI REGII,**  
 Reip. Ultrajectinæ Poliatri, & Medicinæ  
 ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicè ventilandam proponit  
**GUALTERUS SCHAGHEN** Batavo-Duranus.  
*Ad diem 2. Decembris horâ locoque solitis.*



Natura & Industriâ

TRAJECTI ad RHENUM,  
 Ex Officinâ JOHANNIS à NOORTDYCK, In Acad  
 Typog. Anno 1648.



VIRTUTE, PIETATE, DOCTRINA,  
VIRIS CONSPICVIS,

D. DANIELI SCHAGHEN, Illi patruo suo, in  
D. CORNELIO à LEEUWEN, LOPICK,  
Huic avunculo in Boscoop, Pastoribus vigilantissimis, ac  
tissimis, nullo non genere observantiae in æternum sibi pro-  
sequendis:

D E N I Q V E

D. SIMONI ab HEL, Cognato dilectissimo, Ecclesie,  
quæ Christo colligitur in AUWERSCHIE Pastoti fidelis-  
simo, sibi summopere quoad vivet colendo:

*Hoc exercitium Medicum, in debitæ ob-  
servantiae ac amoris signum;*

Offert & inscribit

GUALTERUS SCHAGHEN.

M E D I C A T I O  
I V V E N I S  
S C O R B U T O  
L A B O R A N T I S.

## I.

**I**Uvenis 28. annos natus, temperamento melancholicus, post errores varios in victu commislos incidit in tertianam, à qua convalescens percepit in hypochondrio sinistro tumorem durum, cum respirandi difficultate. Adebat ipsi febricula, per accessiones quotidie invadens. Color faciei est ex pallido fuscus. Crura debilia maculis quibusdam sublividis, variis locis, sunt notata. Gingivæ tumidae, leviter contactae, sanguinem emittunt. Halitus oris foetet. Appetitus ipsi est prostratus. Multum sitit.

## II.

**A**fficiuntur in hoc ægro lien, ut patet ex tumore, sinistro hypochondrio percepto, & respirandi difficultate; item cor, ut docet febris; item hepar ac pancreas & ventriculus ac pulmo, ut constat ex fusco pallidoq; vultu, & ex foetore halitus oris; Crura quoque, ut probat eorum debilitas & maculosus livor; Denique etiam gingivæ, quod constat ex sanguine, à levi pressione, ex iis emanante.

## III.

**M**orbus præcipuus, qui egrum nostrum affigit, est intemperies quædam serosa crassa & maligna viscerum, chylosi, chymosi, & hæmatosi inservientium; quæ præter febrim, halitus foetorem, gingivarum tumorem, earumq; à levi contactu sanguinis emissionem, crurum in motu debilitatem, eorumq; sublividas maculas, ac lienis vicinorumque viscerum obstructions & tumorem inducens, scorbutus vulgo appellatur.

F f 2

IV. Cau.

I V.

*Causa procatarctica* hujus morbi est varius error in victu commissus; quo cacockymia in corpore genita, & tertiana tandem producta antecedentem huic morbo prebuit causam. Ea verò per moram ulterius corrupta, ac visceribus & sanguini aliisq; partibus peculiarem qualitatem crassam et acrem imprimens, continens hujus morbi & syntomatum est causa.

V.

Ea enim sanguini mista, & quotidie vehementius in corde cum malignitate effervescens, producit febriculam quotidie invadentem. Lieni copiosius impacta, producit in eo obstrukiones & tumorem in sinistro hypochondrio perceptibilem. Copiâque suâ pancreas & mesenterium distendens, atque hinc liberam dia-phragmatis depressionem, in inspirando necessariam, impediens, respirandi inducit difficultatem. Ad vultum devecta, ex fusco pallidum suo colore illum efficit. In crura descendens, ibique ob gravitatē & crassitiē, hærens musculos sua in tempeste ad motū facit ineptiores & debiles, & cultim ibidem sub nigro suo colore variis locis tingens, multas maculas lividas cruribus imprimit. In gingiuas copiosius effusa, copiâ suâ ibi facit earum tumorem, & acrimoniâ vasa pene exedens, ad levissimum contactum sanguinis in iis excitat profusionem. Ad pulmones & os delata, ibique fœtorem contrahens, & cum aere expirata, hælitus fœtidi facit expirationem. Dum verò aquosiores quædam ejus partes in ventriculum effunduntur, tollit famem; in æsophagum verò falsis quibusdam & calidioribus effusa partibus, inducit sitim.

V. I.

*Morbus hic*, propter malignitatem & viscerum istorum affectionē grāvē est periculosus. Quia tamē haud altas egit radices, spes sanationis ampla affulget. Verū curatio ejus gnauiter erit aggredienda.

VII. Eaq;

## VII.

Eaque consistet in causæ antecedentis & continentis ablacione, & viscerum, sanguinis, & aliarum affectarum partium in temperiei correctione, & obstructionum apertione.

## VIII.

Præscribatur itaque primò tale apozema alterans & purgans, ubi sanguis ad uncias sex vel octo ipsi fuerit eductus:

Rx. rad. cichorii, faniculi, petroselini an. vnc. j.

raphani rustici vnc. j. f.

capparum, tamarisci an. vnc. f.

herbar. cichorii, acerosæ, carduibenedicti, fumaria,  
becabungæ, nasturt. aquat. an. m. j.

cochlearia m. jj.

sem. anisi, faniculi an. dragm. ij. tamarind. vnc. ij.

decoquantur in aq. hordei ad lb. j. f. addendo sub finem decoctionis fol. sennæ vnc. j. mechoacanna, agarici an. dragm. j. cinnamoni scrup. j. Colaturæ adde syr. de limonibus vnc. j. spirit. vitrioliæ gutt. xv. Misce F. Apozema, de quo sumat æger quotidie mane vnc. iiiij. vel v. jejunus.

Apozemate illo absunto, idem, velsimile ex antiscorbuticis, repetatur, ac de eo bis terve in die haustus bibatur.

Interim hoc linimentum ventri, & præsertim lieni, adhibetur:

Rx. ol. capparum,

aceti fortis an. vnc. iiij.

vini malvaici vnc. j.

bulliaut ad vini & aceti consumtionem; deinde adde  
adijps anserini,

medullæ crurum boum an. vnc. f

cum ceræ q. f. F. Linimentum, quo ungatur totus venter  
calide, & præcipue sinistrum hypochondrium.

Pro gingivis sanguinolentis utatur hac oris collutione;

Rx. cort. prunor. silvestrium vnc. j.

Ff 3

cochle-

cochlearia, nasturtii aquatrici an. m. j.

rosar. rub. m. f.

balauftior. dragm. ij.

Coq. in aqua chalibeata q. s. ad lib. j.

Colatura adde syr. rosat., diamori an. vnc. j.

aluminis dragm. j. Misce, F. oris collutio.

Utatur etiam saepius malis auratiis & citriis, cum torticibus  
in tessellas dissectis, & eorum succo expresso cum cibis.

Ad maculas crurum hoc lavacro utatur mane, & vespericu-  
bitum iturus:

Rx. absinthii, rorismarini, malvae, salviae, nasturtii.

flor. rosar. an. m. j.

Coquantur in aq. com. q. s. pro lotione pedum,  
eoque foreantur loca affecta maculis.

## IX

In viectus ratione aer sit tenuis, purus, patens, temperatus.  
Cibus sit parcus, boni succi, facilis coctionis, attenuans, ex pane  
bene fermentato triticeo, carnibus avium montanarum, verue-  
cum, gallinaceis, passulis, amigdalisi, caricis, prunis coctis,  
beta, petroselini & cichorii radicibus. Potus etiam parcus,  
cerevisia tenuior bene defaecata & fermentata, lupulo vel absin-  
thio bene condita, vinum oligophorum. Somnus sit modera-  
tus, uti & motus corporis. Fugiat tristitiam. Excrementa al-  
vi, vel natura, vel arte, assumptis respondeant.

# MEDICATIO VIRI LVE VENEREA LABORANTIS.

## I.

Vir triginta annorum, boni habitus, temperamento bi-  
osus, quatri duo post coitum cum muliere quadam perac-  
tum, urinam frequentius cœpit excernere, dolorem inter-  
min-

mingendum, in meatu urinario, circa glandem, sentire. Post stridie materiam albam, subflavam, guttatum excrevit. Partitur jam frequentem penis cum dolore erectionem. Præterea pili è mento & capite copiose ipsi decidunt. Vultus præ intumescentia à recepto lumine fulget: sub vesperam brachia, scapulas, & tibias gravis invadit dolor, qui tota nocte durat, & mane remittitur.

## II.

*Afficiuntur in hoc ęgro penis, quod patet ex urinę cū dolore excretione & penis dolorifica erectione; item glandulæ prostatæ, ut probat materia subflava guttatum excreta; nec non caput, ut constat, ex pilorum ex mento & capite defluvio; & denique tibiæ & brachia, quod docent dolores, illas partes occupantes.*

## III.

*Morbus ejus est intemperies quædam viscerum, chymosi & hæmatosi inservientium, maligna & contagiosa: quæ dolores brachiorum & tibiarum sub noctem ingravescentes & mane mitescentes, pilorum in mento & capite defluvium, materię subflavæ ex urethra excretionem; urinæ ardorem; & penis dolorificam erectionem concilians, Gonorrhœa virulenta, vel potius ipsa lues venerea, appellari potest.*

## IV.

*Causa procatarctica hujus morbi est coitus, cum impuro & venerealue laborante scorto peractus; quo per contagium maligna qualitas sanguini penis & vicinarum partium fuit impressa; eaq; cū sanguine circulante per totū corpus delata & distributa, auctoritatem hujus morbi fuit causa. In partibus vero affectis pravam qualitatem excitans, & symptomata commixta excitans, continens hujus morbi est causa.*

## V.

Dum enim ex malignitate ista in parastattis corruptitur semen, & acrimonia ipsis & meatui urinario conciliatur, glandulæ istæ ad excretionem stimulātur, quo materia corrupta, subflavo & albo colore imbuta, guttatum, & urina cum dolore, &

re, & frequenter excernitur. Dum eadem malignitas spiritus, in partes fluentes genitales, facit acres & crassos & addisipandum ineptos, hinc oritur dolorosa penis tentigo. Eaque ad caput delata, incrassat ibi ita vapores, ut illi, dissipari satis nequeentes, vultum ita distendunt, ut is à recepto lumine fulgere vidatur. Radices verò pilorum in mento & capite corrumpens, facit ut pili ex illis partibus decidant. Hæc nocturno denique tempore in brachiis & cruribus ob frigus noctis retenta, pungit suā acrimoniam nervosas in iis partes, doloresque ingentes excitat; qui, adventante sub aurorā diurno calore, ob materiae istius acris dissipationem, mitescunt.

V I.

Morbus hic, ob malignitatem & gravia symptomata, valde est periculosus. Quia tamen altas radices non egit, spes salvationis affulget.

V II.

Eaque tota, in intemperiei correctione, & pravorum humorum, educatione, consistet.

V III.

Primo itaque educatur sanguis ex vena malleoli pedis ad unc. sex vel octo.

Postridie purgetur hac potionē:

Rz. diaprumis sol. cassiae recent. extracto an. vnc. f.  
dissolve in aq. sumariae vnc. iij. scāmonii gr. iij. m. f. baufius

Postea utetur hoc decocto:

Rz. rasuræ ligni guaiaci, rad. salsa parilla an. vnc. iij.  
cort. guajaci: rad. chynæ an. vnc. 1.

Infundantur per 24. horas in aq. comm. lib. 12. deinde decoquantur ad medicis partis consumtionem, addendo sub finem decoctionis

fol. betonicae, borraginis, cichorii, card. benedicti,  
capill. veneris an. m. j.  
sem. melonum dragm. ij.  
passular. glycerizæ an. dragm. vij.

sem.



*sem. anisi vnc s.* Colentur & F. decoctum sudoriferum;

De hoc decocto exhibeantur ægro vnc. viij. mane jejuno ventriculo calide, corpus plus solito tegendo, ut excitentur sudores; qui continuabuntur per duas tresve horas, pro ratione virium. Continuabitque æger hanc agendi rationem totâ septimanâ: excepto, quod quarto die potionē cathartica sit purgandus, quo à sudoriferis abstinebit.

Secundâ & tertîâ septimanâ sudabit noster æger mane & sub horam quartam pomeridianam, & quarto quoque die omissis sudoriferis purgabitur.

Quartâ septimanâ redibit ad sudores, mane tantum eliciendos & purgationem quarto die repetendam:

Dum autem his utitur, ad morsum quem in mingendo sentit, immerget glandem lacti vel succo plantaginis aut solani.

Ad tentiginem verò & membra erectionem, adhibeat pudendo linteum, aqua frigida imbutum & leviter expressum.

Perseverante gonorrhæâ utatur etiam his pilulis:

Rx. terebinthæ vnc. s. pulv. sarcocolla, mastiches, liquertiae, nucis moschat. an. dragm. j. Misce. & fiat massa pilularum, de qua sumat quotidie dragmam unam, duabus horis ante medicamentum sudoriferum vel purgans.

### I X.

In iuncta ratione aer sit calidus & siccus. Cibus & potus parcus, qui viribus conservandis sufficiat; ex pane biscocto, carnis gallinarum, vervecinis, ovis sorbilibus, assis potius quam elixis. Solus sit bochétum ex gujaco & falsa parilla passulis & glyceriza paratum. Exercitia sint moderata. Animi affectus sint læti. Alvius sit laxa natura vel arte. Abstineat à Venere.

## COROLLARIA.

1. Morbus est facultas lœsa, corporis, non anime.  
2. Sanitas non est Medicina finis.  
3. Res artificiosæ in corpore humano nequeunt digni.  
4. Non dantur signa certa virginitatis.  
5. Sanguis ministruus non est suâ naturâ malignus.  
6. Infans extinctâ matre aliquandiu vivere potest.  
7. Lien salvâ vitâ eximi non potest.  
8. In diabete non excernitur potus non mutatus.  
9. Obstructio ventriculorū cerebri non est causa epilepsie.  
10. Catalepsis non oritur à congelatione spirituum.  
11. Sanatio unguenti armarii Paracelsi est naturalis; ejusque commoda ratio ex naturâ dari potest.

F I N I S.



00 A 6396

ULB Halle  
002 928 167

3



Stra



O L L A R I A.

male in theoreticam & practicam; sed cognitionem & curationem dividitur.  
sunt partes humani corporis.

facultas lœsa corporis, non animæ.  
habet materiam.

mense editus potest esse legitimus.  
est corporis de loco in locum translatio.  
perit.

Aristotelica implicat contradictionem,  
definitio obscurior

xrite

colorchecker CLASSIC



MEDICATIO DUORUM ÆGORORUM,  
QVORVM USUS

S C O R B V T O;  
ALTER  
L V E V E N E R E A  
LABORAT:

QVAM

Divino adjuvante Numine,

SUB PRÆSIDIO

Viri doctrinâ & experientâ clarissimi,

D. HENRICI REGII,  
Reip. Vlrajectinæ Poliatri, & Medicinæ  
ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicè ventilandam proponit

GUALTERUS SCHAGHEN Batavo-Duranus,  
Ad diem 2. Decembri horâ locoque solitis.



Natura & Industria

TRAJECTI ad RHENUM,  
Ex Officinâ IOHANNIS à NOORTDYCK, In Acad  
Typog. Anno 1648.